



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De Peccato pure putato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

unde non est opus nova confessione.

VI. Sed rogabis hic, dum quis fatetur numerum incertum, dicendo verbi gratia, blasphemavi decies circiter, plus minusve, quot blasphemias importentur per ly circiter, ut penitens liber sit ab iteranda confessione, si deprehendat alium numerum blasphemiarum.

Respondeo, Verricel. tract. 1. quaest. 5. citatum, & merito rejectum a Tambur. sentire, quod importetur medietas numeri: Unde si ille vicies blasphemavit, non teneatur amplius confessionem repetere, si deprehenderit blasphemasse tricies; Et si dixerit centum circiter, non teneatur, si deinde deprehendat centum quinquaginta blasphemias commisisse. Gaspar Hurtadus apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 294. dicit decem circiter importare tres, aut quatuor alios. Vasqu., & de Lugo censent, universalem regulam assignari non posse, sed prudentis arbitrio relinquendum: in quo iudicio formando ea regula servetur, ut pro majori numero, qui nominatur, major pariter numerus subintelligatur per illam particulam, Circiter; non tamen servando proportionem arithmeticam; unde Lugo, & Menochius putant, quod si quis dixerit, decies circiter se peccasse, non teneatur confessionem iterare, etiam si deprehendat peccasse octies, vel duodecies: si tamen dixerit commisisse ad centum peccata, non intelligantur octoginta, aut centum viginti, sed nonaginta quinque, aut ad summum nonaginta, vel centum & quinque, aut centum & decem, hanc proportionem servando in majori multitudine, quia quamvis ita se habeant duo ad decem, sicut viginti ad centum: at dum dico decies circiter, possunt intelligi etiam duodecim, quia duo alia etiam secundum se sunt parva pars: Contra vero; quia viginti

secundum se non sunt parvus numerus; ideo dum dico centum circiter, non intelliguntur centum viginti.

ARTICULUS IV.

De Peccato pure putato.

- I. *Quamvis peccatum pure putatum sit materia necessaria Confessionis; dubitatur tamen, an sit materia sufficiens, ut gratia conferatur.*
- II. *Multis arrides sententia negativa.*
- III. *Sed benignior affirmativa est valde probabilis.*
- IV. *Hinc plura ad praxim deducuntur.*
- V. *Cum eadem sit ratio de peccato pure putato, ac de peccato dubio, si revera non fuerit commissum, ideo in confessione praeter peccata dubia, addendum est aliquod certum.*

I. **C**itra controversiam est peccatum pure putatum esse materiam necessariam confessionis, seu teneri nos illud confiteri, quia de rebus judicare debemus, non prout sunt, sed prout in conscientia apparent: Unde dixit Apostolus, *quod non est ex fide, peccatum est*, hoc est, quod non est juxta fidem, seu juxta dictamen conscientiae, est peccatum.

Quaritur tamen, An peccatum pure putatum sit materia sufficiens confessionis; seu an qui putat, se commisisse aliquod peccatum, quod revera non commisit, & illud tantum aperiat in confessione, sacramentum, & novam gratiam recipiat ratione veri doloris cadentis supra peccatum non verum?

Respondeo, plures Neotericos probabiliter affirmare, tum quia in tali casu non deest materia proxima hujus Sacramenti, quae est dolor; tum

et-

etiam quia, si peccatum putatum est materia remota necessaria, congruum est, ut sit etiam sufficiens. Idque similiter docent de peccato dubio, quod revera non sit commissum; ita ut, si solum illud subjiciatur clavibus, adhuc gratia Sacramentalis conferatur.

II. Rigidior tamen sententia negat, quia Trident. pro materia proxima hujus Sacramenti non assignat dolorem, quemcumque, sed dolorem de peccato: atqui in casu nostro non habetur dolor de Peccato, quamvis habeatur dolor de peccato putato; quia peccatum putatum non est peccatum, sicut homo pictus non est homo, nisi æquivoce: ergo in casu nostro non habetur materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, & consequenter nec Sacramentum. Unde peccatum putatum non est materia remota sufficiens talis sacramenti.

Confirmant hanc sententiam, quia si sufficeret verus dolor de peccato non vero, sed putato, sufficeret etiam dolor verus subditi non veri, sed putati, & absolutio vera confessorii putati, seu Sacerdotis habentis jurisdictionem putatam, quod nemo dixerit: Præterea sequeretur, quod posset dari Sacramentum Confirmationis per veram unctionem Chrismatis putati, & Sacramentum baptismi per veram absolutionem aquæ putatæ. Sicut enim peccatum est materia remota, & dolor materia proxima Sacramenti pœnitentiæ; ita aqua naturalis est materia remota, & ablutio materia proxima Sacramenti baptismi: ergo si satis esset dolor verus de peccato putato, satis etiam esset ablutio vera aquæ putatæ.

Si opponas primo, In judicio forensi vere ferri sententiam de crimine putato, si fuerit juridice probatum: ergo etiam in judicio Sacramentali.

Respondent per instantiam de subdito putato: nam in judicio forensi vere fertur sententia, quando jurisdictionis est tantum putata; non tamen in judicio Sacramentali. Præterea sicut Sacramentum pœnitentiæ est institutum ad modum iudicii, ita Sacramentum baptismi ad modum ablutio- nis, & tamen, si ablutio sit aquæ putatæ, non confertur Sacramentum baptismi: ergo si absolutio, & dolor sint de peccato putato, neque confertur Sacramentum pœnitentiæ. Quare iudicium forense, & Sacramentale in multis discrepant: nam in judicio Sacramentali reus non debet esse distinctus ab accusatore, & a teste; & qui fatetur delictum, absolvitur; Contra vero in judicio forensi: ergo poterunt etiam differre in ferenda sententia de crimine putato; Et quod de facto differant, constat ex ratione adducta pro hac sententia.

Si opponas secundo, videri incredibile, quod Christus Dominus noluerit conferri gratiam Sacramentalem ei, qui tenetur peccata putata revelare, & de facto revelat Confessorio: ergo ex institutione Christi Domini peccatum putatum est materia sufficiens. Quod ex eo confirmatur, quia aliter habenti peccatum putatum obesset sua innocentia: si enim vere peccasset, reciperet gratiam Sacramentalem; quia vero putat, se peccasse, & de facto est innocens, gratiam Sacramentalem non recipit, quod videtur absurdum.

Respondent, negando antecedens; sicut enim pœnitens tenetur aperire suas culpas illi, quem putat esse confessorium, quin proinde recipiat Sacramentum, si sit tantum Sacerdos putatus; ita in casu nostro: satis enim est, si in his casibus actus elicti ad satisfaciendum obligationi profint bene operanti ex opere operantis, quin debeant, aut possint pro-
def.

desse ex opere operato; cum non satis sint ad Sacramentum conficiendum.

Ad confirmationem dicunt, huic obesse, ne gratiam Sacramentalem recipiat, non suam innocentiam, sed institutionem Christi Domini, qui noluit hoc Sacramentum pro sanis, & vivis, sed pro ægrotis in medicinam, & pro mortuis in resurrectionem instituire, quamvis potuisset aliter instituire: Non est autem argumentum efficax ad dicendum, quod de facto ita instituerit, ut conferatur gratia Sacramentalis aperiendi solum peccatum putatum, ad hoc ut sic etiam hoc Sacramentum innocentibus proficit; Nam sic possemus dicere, quod de facto Sacramentum pœnitentiæ ita instituerit, ut ad illud suscipiendum satis sit etiam dolor de peccato, quatenus est offensa Dei, sive a se, sive ab alio irrogata, ad hoc, ut sic posset suscipi a Beatissima Virgine, quæ tantum poterat dolere de offensa Dei ab aliis irrogata, non vero de peccato ut a se commisso, ne putato quidem; ut communissime docent Doctores contra perpaucos citatos a Raynaudo par. 2. punct. 4. putantes cum Canisio lib. 1. de Virgine cap. 4. Deiparam suscepisse Sacramentum pœnitentiæ, confitendo sive incongruitatem ad maternitatem Dei, sive culpam levem conditionaliter existimatam, vel tamquam possibilem apprehensam. Quamvis enim Deipara suscepit Sacramentum baptismi, ut caractere Christi insigniretur, & Sacramentum Extremæ Unctionis juxta probabilem sententiam Suarii, ut muniretur gratia corroborativa in extremo vitæ agone ad superandas mortis angustias, non videtur tamen suscepisse Sacramentum pœnitentiæ, quod unice voluit Christus Dominus instituire ad delenda peccata, non vero ad augendam gratiam innocentium.

III. Equidem hac in re benigniori sententiæ adhærendum censeo, ac valde probabile puto, quod peccatum pure putatum, sicut est materia necessaria Confessionis, ita sit etiam materia sufficiens: Et ratio videtur esse, quia potuit Christus Dominus instituire hoc pacto Sacramentum pœnitentiæ: ergo probabiliter ita instituit: Consonum quippe divinæ benignitati est, ut onus impositum confitendi peccatum pure putatum voluerit innocentibus compensare augmento gratiæ, etiam ex opere operato; unde instituerit, quod peccatum etiam putatum esset materia remota Sacramenti pœnitentiæ.

Neque obstant paritates adductæ; quod scilicet aqua putata non sit materia remota Sacramenti Baptismi; nec Chrisma putatum materia Confirmationis: Sicut nec dolor putatus de peccato vero est materia proxima in Sacramento Pœnitentiæ; nec est forma Absolutio relate ad subditum putatum.

Respondetur enim, materiam remotam in Sacramento Pœnitentiæ esse valde diversam, ac in Sacramento Baptismi, Confirmationis, &c.; nam in hisce Sacramentis materia remota debet existere, ut habeatur materia proxima; quomodo enim poterit haberi aquæ ablutio, si non habeatur aqua? At in Sacramento Pœnitentiæ debet materia remota destrui; & perinde se habet, sive tunc destruat per Sacramentum, sive destructa prius fuerit per contritionem, sive nunquam extiterit, ut quando peccatum est putatum. Et in Eucharistia, ubi substantia panis debet destrui, non possunt haberi species panis, nisi verus panis consecratur. At potest haberi verus dolor de peccato etiam putato.

Neque dici potest, quod dolor etiam putatus posset dici, esse materia pro-

proxima hujus Sacramenti, aut absolutio relate ad subditum putatum. Nam universim verba Bibliorum, ac Conciliorum sumi debent in sensu proprio, nisi detur valida ratio in contrarium; sed nulla est hujusmodi ratio ad dicendum, quod sufficiat dolor putatus, aut subditus putatus; nemo enim id somniavit; imo ex proscripta thesi 57. ab Innoc. XI. constat, quod solus dolor supernaturalis ad hoc Sacramentum spectet: Contra vero datur sufficiens motivum, & auctoritas ad dicendum, quod verus dolor de peccato putato sit satis: ergo probabiliter peccatum putatum est materia remota hujus Sacramenti.

IV. Ex dictis infertur primo juxta rigidam illam sententiam non satisfieri præcepto confessionis annuæ per confessionem solius peccati putati, atque adeo, qui postquam deprehendit peccatum fuisse putatum, incidere infra annum in aliquid mortale, teneretur eo anno iterum confiteri, ut præcepto satisfaceret. Verum quia sententia nostra est etiam probabilis, & ut supra diximus, abunde satisficit præceptis juxta opinionem probabilem, idcirco absolute, & præctice loquendo per hujusmodi confessionem præcepto Ecclesiæ satisfaceret; quamvis speculative loquendo juxta præfatam sententiam non satisficeret.

Infertur secundo, quod dictum est de peccato putato, dicendum etiam fore de peccato dubio, si vere non est commissum. Nam peccatum, quod clavibus subiectum est ut dubium, si vere non est commissum, est solum peccatum putatum.

Infertur tertio, quod, qui confitentur peccata dubia, debeat pariter aliquid veniale certum addere, non solum ut juxta praxim Ecclesiæ absolutio detur quoad ejus fieri potest absoluta, & non conditionata (sicut dari deberet, si quis tantum peccata

dubia confiteretur), sed etiam ne privetur gratia Sacramentali, quæ juxta sententiam rigidam non conferretur, si peccatum confessum ut dubium vere non esset commissum. Et quamvis sententia nostra sit valde probabilis speculative, tamen quia forte non est vera, ideo ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, expedit semper peccatum aliquod certum dubiis superaddere.

V. Dubium est, Utrum hoc cadat sub consilium tantum, an sub obligationem gravem? Martinus Perez tenet cadere tantum sub consilium; præsertim si difficultatem experiatur pœnitens exponendi materiam aliquam certam. Censeo tamen cadere sub obligationem gravem, ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum juxta ea, quæ passim Doctores docent in expolitione primæ propositionis proscriptæ ab Innoc. XI. Quod si peccatum certo sit commissum, & dubium solum sit, num fuerit mortale, an veniale, tunc talis obligatio non datur, ut patet, cum non exponatur Sacramentum periculo frustrationis.

ARTICULUS V.

De Peccatis alias confessis.

- I. Videntur peccata rite confessæ, & absoluta non esse amplius materia sufficiens Confessionis.
- II. Sed communissime oppositum docent.
- III. Quomodo forma absolutoria in hoc casu non sit falsa?
- IV. Num possint peccata isthac esse materia necessaria, vel ex voto Pœnitentis, vel ex statuto Superioris?
- V. Num possit Ecclesia præcipere Confessionem de venialibus?
- VI. Quandonam Pœnitens teneatur respondere, si a confessario interrogetur de peccatis alias confessis?
- VII. Utrum possit reticere aliqua peccata.